



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Sacramentorum administratione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

Pag. 15. b.

elefuarum Collegiatarum muro cingendis, in Concilio prouinciali sub Conrado Archiepiscopo cap. 14. praescripta sunt, earumque portas & valuas, quae collapsae sunt, vel alio modo perierunt, innouari & restitui volumus. Quod ut sine molestia & cunctatione perficiatur, Magistratum civilem paterno affectu cōuenientes, hortamur, ut suo fauore ac patrocinio hoc ipsum promoveat, & ea deuotione & sedulitate in hoc conspiret, quae decet Ecclesiasticae libertatis ac integritatis defensores ac vindices Ecclesiarum Praelatis omnibus modis aduocari, & pia eorum studia comprobationis, consensus, & potestatis suae adminiculo tueri ac fouere.

DE SACRAMENTORVM ADMINISTRATIONE.

1. **C**VM nouae legis Sacramenta ad vitam, salutem, & sanctificationem omnium hominum à Christo Domino instituta sint; ea reuerentia; praeparatione; fiducia, ac pietate, & administranda, & suscipienda sunt; ut eorum tractatione & usu, vberiore gratiam consequantur, & qui illa administrant, & qui eadem suscipiunt.

Cap. Maximus.
Dist. 81.

2. Curent itaque sacerdotes quotquot Sacramenta administrant, non solum ut Sacramentorum formas perfecte, & debita cum attentione pronuncient, omniaque & singula, quae ad substantiam Sacramentorum & externum rei praesentis decorem, ac maiestatem pertinent, grauius & reuerenter exequantur; sed & ut ipsi ab omni re, quae diuinam maiestatem offendere quoquomodo possent, sancti sint & immaculati; ne dum aliorum salutem promouere student, sibi ipsis grauiorem damnationem acquirant, & indignis modis Sacramenta tractando, indignationem ac iram Dei super se ac populum inducant.
Et quam

Et quamvis nullius sibi criminis aut offensionis fuerint conscij, nihil tamen ex agendi consuetudine, aut praesumptuosè, aut temerè, aut perfunctoriè agant; ac de suis meritis, nihil altum sapientes, supplices in timore Dei, antè Deum prostrati, breui oratione, & pro se, & pro illis, quorù salutis causam acturi sunt, magno affectu ac desiderio Deum deprecantur, ac inuouationem spiritus necessariàq; Dei gratiã implorent, his aut similibus verbis, vel sola mente, vel etiam verbotenus proferendis.

O R A T I O.

Summe Sacerdos & verè Pontifex Iesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri, hostiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miseris peccatoribus; quiq; virtutem humilitatis, passionis, mortis, ac charitatis tuae, ad viuificandum & conformandum nos tibi, in paucis Sacramentis Ecclesiae tuae reliquisti; Rogo te per tuum sanguinem pretiosum, magnum salutis nostrae pretium; rogo per hanc miram, & inexplicabilem charitatem tuam, qua nos miseros, & indignos sic amare dignatus es, ut lauares nos à peccatis nostris in sanguine tuo, & Sacramenta hac, vitae ac salutis nostrae institueres, ut in ijs usque ad consummationem saeculi nobis adesses; doce me seruum tuum indignum, hoc Sacramentum, quod pro credito mihi ministerio, in nomine tuo dispensaturus sum, ea circumspectione, reuerentia, & honore tractare, eaq; fiducia, deuotione & amore; quibus oportet & decet. Dirige quaeso summe Deus, dulcissime Iesu Christe, hoc officium meum ad honorem tuum, & meam populi tui vitam ac salutem. Non respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, quam acquisuisti sanguine tuo pretioso, & licet in me boni operis testimonium non cognoscas, officium dispensationis credita non recuses, nec per me indignum famulũ tuorum salutis pereat pretium, pro quibus victima factus salutaris, dignatus es, esse redemptio. Non enim in iustificationibus nostris, prosterimus preces nostras ante faciem tuam, sed in

miserationibus tuis multis, & in virtute Sacramenti tui: vt memor aeternae Clementiae tuae, ac testamenti tui, gratiam tuam in hosce famulos tuos efficaciter infundere digneris: vt non Sacramentum tantum ad iudicium & condemnationem suam, sed rem ac virtutem Sacramenti, copiosè percipiant, secundum pijsimam voluntatem tuam; atque ipse in ministerio nostro, quod tua pietatis atque institutionis est operare. Aufer cor lapideum de carne nostra, & da nobis cor carneum, quod timeat, diligat, & honorificet te, te delectetur, te sequatur, & te perfruat.

Stat. Sifr. e.
Sp 4. l. 1. Sta
tur. V Vilhe
s. 30. pag. 182.
b. c.

3. Quisq; sacerdos Sacramentū aliquod administratur, indutus sit vestibus sacris; ad minus superpelliceo ac stola, seu oratio, & tonsura Sacerdotali sit insignitus.

4. Excepto dūtaxat Cōfessionis Sacramento, in singulorum Sacramentorum administratione adsit Clericus, Clericali veste, ac mundo & decenti Superpelliceo indutus; qui Sacerdoti oranti totius Ecclesiae nomine respondeat.

5. Omnia Sacramenta cum lumine dispensentur; vt praeter lumen lampadis, quae ante tabernaculum Venerabilis Sacramenti corporis Domini perpetuò ardet, vnus atque alter accensus cereus colluceat, qui in nouata accensione sua, & lumen quod datum est ad reuelationē gentium, designet, & ministrantes ac suscipientes admonent, vt hoc quod agunt, non in tenebrosa vetustate consuetudinis; sed in innouatione fidei ac deuotionis agant, ceu recens à Deo, fide, spe, & charitate, in Deum accensi & illuminati.

6. Sacramenta omnia ministrantur ex more Ecclesiae Catholicae, & praescriptione Agendae seu libri Pastoralis propriae Dioecesis; adhibitis omnibus Ecclesiasticis ceremonijs, ac pijs ritibus, pro ratione cuiusq; Sacramenti, ex dictamine Agendae seu libri Pastoralis, adhibendis: ita vt nec Sacramentalibus nec essentialibus alicuius Sacramenti, ex infidelitate, vel ex petitione seu persuasione hae-

Ado. 3 in his
qua à Deca
nis & Pasto
ris inquirē
da sunt s. 16.
pag. 48. a.

hæretica, quidquã vnquam detrahatur; vel contra morẽ Ecclesię Catholicę aliquid in eis immutetur; etiam si hac occasione contingeret, sine necessario salutis Sacramen-
to aliquem ex hac vita discedere. Existimare enim debẽt Sacerdotes se non habere quod faciant, quãdo id solum reliquũ est, quod non nisi peccãdo faciãt. Si tamẽ aliàs sine hæresis approbatione, administrare possunt, necessarium salutis Sacramentũ omitti non debet. Quod si quis vel ex hæretica persuasione, vel pro libito suo, prædictos ritus omiserit; aut in alios, quam in libro pastorali Diocesis suę præscriptum est, mutauerit, ab officio suo suspẽdatur, atque alienus sit à ministerio, quod illegitimẽ deprehensus fuerit administrare:

7. Baptismi, Pœnitentię, Eucharistię, & Extremę Vnctionis Sacramenta, præterquam in casu necessitatis, non ab alijs, quam à proprijs parochis ministrantur; nisi de Episcopi aut proprij Sacerdotis licentiã; nec ab his alibi quã in parochia Iurisdictionis suę. De matrimonio autem feruetur decretum Concil. Tride. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.

Cap Interdicimus 16. quæst. 1. De consecrat. diff. 4. cap. Constat, & sequent. cap. Omnis vtriusq; sexus, tit. de Pœnit. & remiss. cap. Religiosi qui Clericis. tit. de priuil. in Clem. Conc. Florent. sub Eugenio, Conc. prouinc. sub Henrico Anno 1310 habit. cap. 20 pag. 82. c. Synod. Diocesan. sub Adolpho 3. Anno 1549. 2. Octobr. habita pag. 462.

8. Eandem suspensionis pœnam, sicut aliàs* ob administrationem Baptismi; qui sine iusta causa in priuatis ædibus factus est; ita nunc iudicio Ordinarij in illos quoq; ferendam iudicamus, qui aliquod aliud Sacramentum, præterquam in casu necessitatis, aut de licentiã Ordinarij, in priuatis ædibus administrare, aut celebrare præsumpserint. Maximẽ enim decet, vt sacrosancta hæc mysteria, eo peragantur loco, qui & ministrantes & suspicientes, omnesque circumstantes, ab omni prophana cogitatione, ad sublimium rerum considerationem prouehat, & fidem in eis ac charitatem magis accendat, suãque maiestãte sanctas ac Sacramentales actiones, ab omni b.

D. Aug. 108.
1ra mēdaciõ
cap. 17.

* In mandãto quod anno 1591. Dominica 6. post Trinita. quæ fuit 21. Iulij publicatum est. quod incipit Quia parum esset. Cap. Vnicuique de Baptis. in Clem. Stat. Sifr. c. 8. pa. 41. Conc. prou. sub Alex. man. 5. par. 7. c. 7. Cõc. pro. sub Adol. 3. c. Detestãda in cõsurs. & Decr. p. 449.

ab omni irreuerentia tueatur, omniq̄ue cultu ac religio-
ne sanctissimè perendas esse promoueat.

*Concil. Trid.
sess. 24. c. 13.
cap. Eccle-
sias 13. quest.
1. ca. Plures.
16. quest. 1.*

9. Ne de proprio sacerdote quæstio aut dubium esse
possit, volumus vt in proxima Pastoralis synodo, & post-
hac singulis annis, parochiarum singularum fines, in sy-
nodis pastoralibus recenseantur, & si cui parochia ali-
qua facta fuerit accessio, de qua dubitatio ac quæstio mo-
ueri posset; ea concordi Pastorum & Decanorum senten-
tia definiatur, ac singulis pastoribus parochiarum suarū
fines scripto exhibeantur; cuius exemplum singulis pa-
storum Vicarijs, aut pastoralis officij coadiutoribus tra-
datur, & aliud præterea in tabula scribatur, in parochia-
lis Ecclesie sacristia, ad intrantium & exeuntium oculos
affigenda.

*Adolph 3. in
his quæ à De
canis & Pa-
storibus in-
quirèda sunt
§ 27. 28. pa-
485. cap. Ex-
communi-
catos. causa
11. quest. 3.
De vsuris c.
Quaqua
in 6. Statut.
Sifrid. cap.
14. pa 46 d.
47 a.
Stat. V. rich-
bold. c. 12. pa.
54. d. 55. a.
statut. Fride-
ric. ca. 10. pa
192. b. c. c. 13
p. 194. & ca
84 p. 208. c. d
209. a. b. c.
Concil. prou.
sub Herm. in
3. parte 7. c. 2.*

10. Nulli absq; legitima poenitentia & Canonica sa-
tisfactione admittantur ad Sacramenta hæretici aut
schismatici; nulli vsurarij, in mortis licet articulo con-
stituti, nisi vsuris aut restitutis, aut sufficienti cautione,
ex Sacrorum canonum sanctione data, de iisdem resti-
tuendis: nulli concubinarij, nullæq; concubinæ, nisi eo
loci interuallo ac vitæ defuetudine fuerint separati, vt
omnis incontinentiæ ac prioris vitæ cesset suspicio; nul-
li denique publicè criminosi; nulli qui orationem Do-
minicam & fidei symbolum ignorant; nulli accincti
gladijs, alioue modo armati, vel vano ac irreligioso ha-
bitu, gestuue, prophanum animum, magnamq; cordis
vanitatem irreligiosè præ se ferentes. Illi verò qui in oc-
culto peccato mortali sunt, vel occultam peccati certif-
simam occasionem dimittere nolunt, sicut dum publi-
cè ad Sacramenta accedunt, publicè sine crimine reijci
non possunt, ita occultè Sacramenta petentes, nec sine
peccato admitti.

11. Non solum pro concionibus, quandoquæ da-
bitur occasio, sed etiam cum Sacramenta administran-
da sunt, prius illorum vis, vsus, ritus, ac cæremonia (si
con-

commodè fieri poterit) pro suscipientium captu explicentur; doceaturque quænam ad hæc vtiliter ac reuenter suscipienda, animi ac corporis preparatio necessaria sit, & quomodo dignè vel indignè percipiantur.

b. & in hâ que ex eiusdem Adol. 3. digestione à Decanis & Pastoribus inquirenda sunt §. 17. 18. 19. pa. 48; a. b.

12. Quamuis Pastoribus licitum sit, quod à fidelibus post Sacramentorum administrationem sponte offeratur, accipere; & quod iuxta laudabilem locorum consuetudinem eis debetur, peracto ministerio exigere (præsertim vbi potior pars victus, atq; sustentationis pastoralis, à fidelium oblationibus pendet) caueant tamen diligentissimè, ne directè vel indirectè, pactiõnem aut contractum aliquem ineant, pro Sacramento ministrando, prædicatione facienda, vel quouis alio pastoralis officio exercendo; etiam si cum vitæ periculo, aut aliquo alio graui damno fieri non possit. Qui contra fecerit, tanquã auaritiæ & Simonix reus, pro transgressionis & culpæ ratione, grauitèr puniatur.

bert. c. 48. Concil. Tolet. 2. ca. 8. Gelasij Papa cap 7 Epist. ad Episcopos Lucania. Concil. 2. Bracarense cap. 7.

13. Sacra olea, singuli Pastores quotannis ad festum Paschæ noua petant, ex ea Ecclesia vnde veteri ac approbata consuetudine vel iure petenda sunt, & loco honesto ab omni prophanatione & irreuerentia diligenter custodiant. Eorum vascula aut stannea aut argentea sint, suis inscriptionibus ac notis, ad certam ac infallibilem distinctionem insignita.

14. Eadem ante infusionem nouorum oleorum, ab omni puluere, squalore, & obfuscatione mudentur, & decenti defricatione, eis quidam splendor inducatur.

15. Hi quibus sacra olea distribuendi onus iniunctum fuerit; benignè ac gratis sine vllò murmure, aut contentione, omnique cum grauitate & pietate illa dispensent.

16. Pastores similiter ipsimet, aut per Sacellanos suos,

Kkk

viros

Concil. prou. sub Adol. 3. cap. Detestanda in censuris & Decretis pag. 449. 17. 18. 19. pa.

Concil. prou. sub Herman. 5. parte 8. ca. 1. Cap. Cum in Ecclesijs. Cap. Cum ad Apost. extra De Simonia Cap. Baptizandis. cap. Nullus. cap. Placuit cap. Quicquid inuisibilis. & c. 1. quest. 1. Concil. Elbracarense

Cap. Presbyteri qui. de conse. dist. 4. Concil. 4. Carthag. cap. 36. Conc. Vajense 1. cap. 3. Statuit. Sifrid. C. 4. pag. 38. c.

Ca. Placuit, vt nullus 1. quest. 1.

*De consecr.
dist. 4. capit.
Presbyteri
qui.*

viros graues ac pios, non autem per minores Clericos, eadem reuerenter ad Ecclesiam suam perferant; nec in via, in tabernis potitent, nec aliud quod sanctitatem suam, in hac sanctificationum portatione non decet, committant.

*Ibid. cap. Si
quis: & Fa
bianus PP.
ep ad omnes
orientales
Episcop. c. 1.*

17. Mox vbi noua olea acceperint, vetera aut super piscinam comburāt, aut in fomentum lampadis, quæ honoratori in templo loco est, conuertant ac consumant: Non autem in die cœnæ Domini, aut priusquam noua olea acceperint: ne ob defectum olei populus aliquando salutari extremæ vnctionis Sacramento destituatur.

*Stat. Frid. c.
4. pa 38. d.*

18. Si ante nouorum oleorum consecrationem vetera inciperent deficere; nec inde vnde ista petita & accepta fuerunt, haberi possit, quo imminenti prouideatur indigentia: veteri oleo consecrato, guttatim tantillum infundatur puri ac recentis olei oliuarum non consecrati, vt consecratum aliqua parte illud superet, ac ita non consecrato permisceatur, vt nihil olei accipere sit, cui non aliquid consecrati olei fuerit permixtum.

DE BAPTISMO.

1. **B**aptismi susceptio & administratio nunquam in longum tempus differatur, ne patrinorum quidem inuitandorum, vel alia quacunq; de causa: cum id in paruulis ac primum natis, quorum valde infirma ac incerta valetudo est, sine æternæ vitæ periculo fieri raro possit; ac temerè speretur vota parentum, cum sanctissimæ Trinitatis inuocatione, ad salutem infantium suffragari posse, vbi Euangelica lex: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu non potest intrare in regnum Dei*: tam manifestè reclamet, & aliud vsu suo doceat Apostolica traditio, & perpetua Ecclesiæ fides & obseruatio; quæ humanis ingenijs longè præferenda est.

2. Consentaneum tamen fuerit diuinis officijs, & Ecclesiasti-

*Conc. Trid.
de peccat. o
rigin. sess. 5.
Concil. Mil
leuit. c. 2. c.
Si baptiza
ta est caro,
& cap. Nul
la præter:
De consecr.
dist. 4.
Ioan. 3.
D. Aug. Ep.
28. ad Hiero
nym. et li 3.
de Anima et*

eius origine cap. 9. item de peccatorum meritis & remiss. lib 1. cap. 23. & lib 3. cap. 4.